

ECCLESIASTICIS. Vide verb. Alienatio art. 2: per tot. & art. 3. ad 4. SOLEMNITATES CONTRACTUUM. Vide verb. Contractus per tot. SOLIDUS. Vide verb. Cathedralicum num. 5. & verb. Donatio art. 1. num. 30.

SOLLICITATIO AD TURPIA.

S U M M A R I U M.

- 1. Ad coercendam sacrilegam sollicitationem ad turpia in Sacramentali Confessione, vel occasione seu pretextu ejusdem, variae sunt edite Pontificiae constitutiones.
2. Adducitur pra alii constitutio Gregorii XV. quae est norma & regula in hac materia habenda.
3. Sollicitatio quid sit.
4. Per personas sollicitantes intelliguntur hic omnes, & singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares cujuscumque dignitatis, aut praeminio existant.
5. Hinc sollicitans dicitur, & est denuntiandus etiam Sacerdos non Confessorius, qui se fingens Confessorium, feminas, seu adolescentulos ad turpia, seu carnalia provocat, & incitat.
6. Secus autem si laicus sit se fingens Sacerdotem, & Confessorium.
7. Talis vero laicus esset denuntiandus tanquam suspectus de Haeresi ex aliis pontificiis constitutionibus.
8. Feminae sollicitantes in Confessione Confessorios ad inonestam non sunt denuntiandae.
9. Per personas sollicitatas intelliguntur hic feminae, & mares, puella, & pueri.
10. Hinc tam mares, quam feminae quaecumque etiam Moniales, & Mulieres nobiles sollicitatae a Confessorio ad turpia, tenentur ipsos denunciare, & assignatur modus pro nimis verecundis.
11. Sollicitatio fieri potest pluribus modis, nempe scriptis, verbis, signis, & nutibus, tactibus, oculis, & hujusmodi.
12. Unde Confessorius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Penitentem, sive faminae, sive mari chartam postea legendam, in qua ad venerem provocat, tanquam vere sollicitans est denuntiandus.
13. Item vere sollicitans, & est denuntiandus Confessorius ille qui per inonestos sermones Penitentem ad venerem provocat.
14. Et sic vere sollicitat, & est denuntiandus Confessorius ille, qui in actu Confessionis, seu immediate ante, vel post dicit Penitenti: Si ego essem Secularis, vellem te solam ducere in uxorem. Vel si dicit: Memento mei, quia ego te ex toto corde diligo. Vel permittit me, ut in domum tuam veniam, & amorem meum tibi ostendam. Vel pulchritudinem ejus lascivis verbis laudat atque commendat, & hujusmodi.
15. Item vere sollicitat, & est denuntiandus Confessorius ille, qui signis, nutibus, oculis, tactibus lascivis Penitentem incitat, seu provocat ad actus venereos.
16. Item sollicitatio fieri potest in pluribus, & diversis temporibus, nempe vel tempore actualis Confessionis, seu immediate ante, vel immediate post, seu occasione, vel pretextu Confessionis.
17. Unde Confessorius, qui tempore actualis Confessionis aliquo ex supradictis obscenis modis Penitentem ad venerem incitat, vere sollicitat, & est denuntiandus.
18. Et talis Confessorius est denuntiandus, etiam si non pro se, sed pro alio sollicitet.
19. Confessorius, qui in Confessione per inonestas verba accipit sollicitare feminam ad turpia, quae eidem consentit, sed post illa verba statim desistit, nec tunc Confessorius impendit absolutionem, sed differt tam complementum sollicitationis, tam absolutio-

- nis, hoc non obstante est denuntiandus.
20. Confessorius, qui feminam Penitentem ante incipit Confessionem, & dilata in aliud tempus Confessione, oculis, seu verbis, aut tactibus obscenis sollicitat, est denuntiandus.
21. Item denuntiandus est Confessorius, qui immediate post Confessionem, & datam absolutionem tradidit Penitentem chartam postea legendam, quae continet verba incitantia, & provocantia ad venerem.
22. Item denuntiandus est Confessorius, qui post auditam Confessionem adolescentis, quem novit pluries fuisse sodomitice cognitum, immediate ipsum ducit ad proprium cubiculum, & ipsum ad turpia sollicitat. Vel ipsi statim post Confessionem dicit: veni hodie ad meam domum, & tradam tibi chirographum Confessionis, & ipsum illic perrexit, ad coerentem sollicitat.
23. Item denuntiandus est Confessorius, qui faminam in Confessione cognitam adulteram, & post ipsam Confessionem pro aliquo notabili tempore in Ecclesia commorantem in recessu ad suam domum sollicitat. Vel ad ejus domum eodem die hac occasione pergit, ubique eam sollicitat.
24. Item denuntiandus est Confessorius, qui vocatus hodie a muliere ad audiendam ejus Confessionem domi sequenti die illuc perrexit, eam postposita Confessione sollicitavit.
25. Item denuntiandus est Confessorius, qui hodie mulierem pro sequenti die ad Confessionem invitat, & ipsam, antequam accedat ad Confessionarium, praevocavit, & sollicitat.
26. Item sollicitatio fieri potest in pluribus, & diversis locis, nempe vel in Confessionario, aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo.
27. Unde Confessorius in Confessionario sedens, si mulierem ad se accedentem, non ut confiteatur, sed alio negotii causa, sollicitet, est denuntiandus.
28. Adducitur, & solvitur instantia.
29. Hinc denuntiandus est Confessorius, qui in loco ubi Confessiones audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulans eisdem Confessiones audire, mulierem ad venerem sollicitat.
30. Confessorius sollicitans in Confessione, vel occasione, aut pretextu Confessionis, tam in Confessionario, quam in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, non ad venerem, sed ad alia peccata, non debet subiacere panis sollicitationis, nec ut tales sollicitantes sunt denuntiandi.
31. Item denuntiandi non sunt ex oi dicituram constitutionum Pontificiarum Confessorii, qui Penitentem sollicitant, non in Confessione Sacramentali, sed in aliis Sacramentis, nempe in ministracione Baptismi, Eucharistiae, &c.
32. Item propter eandem rationem plurimi defendunt, quod Confessorius faminae sollicitanti consentiens non sit denuntiandus.
33. Alii tamen volunt talem Confessorium esse denuntiandum.
34. Penitentes tenentur sub mortali denunciare Confessorium sui sollicitatorem Inquisitoribus, seu Episcopis. Et de tali obligatione tenentur etiam sub mortali eos monere Confessorii.
35. Denunciare Confessorium sollicitantem tenentur, non solum Penitentes sollicitati, sed etiam omnes illi, quibus certo sciunt sollicitationem.
36. Secus autem sequendum multos, si non certo sciunt, quamvis alii sentiant oportum.
37. Moniales, & Mulieres nobiles sollicitatae a Confessorio, tenentur eos denunciare, quomodo id facere volunt, reantur, & assignatur apud mortem id faciendi.
38. Confessorius sollicitans non tenetur denunciare seipsum, nec monere Penitentem, ut ipsum denuntiet.
39. Nec pater, mater, filius, frater, soror tenetur ipsos denunciare.
40. Nec denunciare tenetur Penitens, si ex ipse pruden-

- ter, & probabiliter grave, & ingens malum sibi, aut suis conjunctissimis timeat.
41. Denuntiatio Confessorii sollicitantis faciendae est Episcopis vel Inquisitoribus.
42. Episcopi sollicitantes non sunt denuntiandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicae. Alii tamen sentiunt oppositum.
43. Inquisitores sollicitantes, ubi sunt varii Delegati Sedis Apostolicae, & ejus Officiales, sunt denuntiandi ipsi Sedi Apostolicae, ubi vero sunt solum Subdelegati, & commissarii Inquisitoris Generalis, sunt denuntiandi ipsi Inquisitori Generali.
44. Generales Ordinum Regularium sollicitantes denuntiandi sunt Inquisitoribus, vel Episcopis.
45. Denuntiatio autem accepta, non posse ulterius Inquisitores, seu Episcopos contra dictos Generales procedere, sed debere rem totam deferre ad Sedem Apostolicam docent plurimi: Alii tamen defendunt contrarium.
46. Obligati ad denuntiandum Confessorios sollicitantes, si absque legitima causa, & vero impedimento negligant ipsos intra praefixum tempus denunciare, ultra peccatum mortale, incurunt etiam excommunicationem late sententia.
47. Nec obstat, quod Confessorius credatur jam emendatus, vel elapsum sit jam multum tempus a facta sollicitatione.
48. Multi tamen sustinent contrarium.
49. Terminus pro denuntiatione faciendae pendet ab edictis Inquisitorum.
50. Unde si non sit perpetuum decretum Supreme, & Universalis Inquisitionis de die 3. Jan. 1623. assignans pro termino 12. dies, standum est termino praefixo a respectivis Inquisitoribus, cum hac advertentia, quod dies termini non computantur in termino.
51. Penitens sollicitatus, qui ob non factam denuntiationem intra debitum terminum incurrit excommunicationem, quomodo accedat ad Confessorium, & promittat se statim denuntiatum, non potest ab ipso absolvi, licet sit Privilegiatus.
52. Penitens sollicitatus, qui ob omissam denuntiationem incidit in excommunicationem, facta postea denuntiatione, potest quidem absolvi a Privilegiato, non autem a simplici Confessorio.
53. Sic Penitens sollicitatus, qui intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea extingatur onus denuntiationis, non potest absolvi a simplici Confessorio, sed solum a Privilegiato.
54. Confessorius sollicitatus potest a quolibet simplici Confessorio absolvi.
55. Regulariter loquendo Confessorii non debent absolvere Penitentes sollicitatos, nisi prius sollicitantem denuntient Inquisitoribus, vel Episcopis.
56. In aliquibus tamen casibus expedit, quod Confessorii ipsos absolvant ante factam denuntiationem.
57. Confessorii cautissime procedere debent circa impendendam penitentibus obligationem denuntiandi.
58. In casu, quo reperitur intervenisse veram sollicitationem, nec possit penitens induci ad personaliter denuntiandum, ut saepe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, & Monialibus, servanda est praxis juxta decretum allatum supra num. 10. Quod si neque ad id possit talis verecunda penitens flecti, recurrendum est ad Sanctam Sedem, & inserim tanquam indisposita nequit absolvi.
59. Non est autem sufficiens modus evadendi obligationem denuntiandi sollicitationis, si penitens sollicitatus confiteatur cum Confessorio sollicitante sub pretextu quod hic possit ipsum absolvere absque onere denuntiandi.
60. Quomodo Confessorius non moneat Penitentem de obligatione denuntiandi, adhuc penitens ad id tenetur.
61. Confessorii, qui culpabiliter, & malitiose non moneant penitentes ab aliis sollicitatis de obligatione eos denuntiandi, seu docent ad id non teneri, sunt de-

- denuntiandi Episcopis, vel Inquisitoribus, qui possunt & debent illos punire pro modo culpe.
62. Confessorii ipsi vere sollicitantes gravissimis panis pro qualitate delicti puniendi sunt.
63. Contra Confessorios sollicitantes aequo procedere possunt Episcopi, & Inquisitores, sive unitim, sive separatim.
64. Ad probandum enorme delictum sollicitationis admittuntur etiam testes singulares, concurrentibus tamen praesumptionibus, indicis, & aliis adminiculis simul comprobantibus.
65. Una tamen femina, quantumvis honesta, non facit sufficientem probationem ad capturam, & torturam etiamsi concurrant alia indicia, sed tunc est consulenda S. Cong.
66. Circa sollicitationem attendenda est nunc novissima Constitutio Benedicti XIV. in qua confirmat, & ampliat Constitutionem Gregorii XV. & reservat Papae absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes de sollicitatione accusant, qui procurant ut ab aliis falsis accusentur.
67. Subnectuntur Supplementa Auditoris.
Ad coercendam sacrilegam, & execrabilem sollicitationem ad turpia in Sacramentali Confessione, vel occasione, seu pretextu ejusdem, variae sunt edite Pontificiae constitutiones, & signanter a Pio IV. const. incip. Cum sicut nuper: a Paulo V. const. incip. Dilcte fili: & Gregorio XV. const. incip. Universi Dominici gregis: Quae Gregorii constitutio, cum sit norma, & regula in hac materia habenda, hic ad litteram datur.
GREGORII PAPA XV.
Sevvs Setvorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.
Universi Dominici gregis curam quamquam immeriti coelesti dispositione gentes sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus praevitis consuetur immunitis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab his avertatur, quibus alios sanandi Officium est commissum, ne quod Evangelica scripta Nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saluatur, & ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.
1. Quoniam autem Romanis Pontificibus Praecessoribus Nostris quibusdam in locis provium fuit ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab his arceatur, videlicet ut aliquis ad Sacras audiendas Confessiones deputatus Sacrosancti Penitentiae Sacramento, sollicitando Penitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex coelesti medico infernalis veneficus, ex patre spiritali proditor execrabilis Animarum reddatur: idcirco Nos ea, quae his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desideretur, quantum ex alto conceditur, providenda duximus.
2. Alias siquidem a fel. rec. Pio Papa IV. Praecessore nostro emanarunt literae tenoris subsequentiis, videlicet, Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispanen. in regnis Hispaniarum hereticorum pravitatis Inquisitori Generali &c. Cum sicut nuper, &c.
3. Igitur ut litterae praedictae perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter observentur, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum praesentibus literas hujusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & sin-

»gulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adji-
»mus, illasque non solum in prædictis Hispaniarum
»regnis, sed in quibusvis christiani orbis partibus fir-
»miter & inviolabiliter observari præcipimus, & man-
»damus.

»§. 4. Ac præterea ne in futurum de poena his delin-
»quentibus imponenda, & de modo contra eosdem
»procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decre-
»nimus & declaramus, quod omnes & singuli Sacerdo-
»tes, tam Seculares, quam quorumvis etiam quomodoli-
»bet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subjec-
»torum Ordinum, Institutuum, Societatum, & Congre-
»gationum Regulares cujuscumque dignitatis, & præ-
»minentia, aut quovis privilegio muniti existant, qui

»personas, quæcumque illæ sint, ad inhonestam, sive
»inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in
»actu Sacramentalis Confessionis, sive antea, vel post
»immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis
»hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive
»extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut
»in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales
»audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo,
»simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare,
»vel provocare, tentaverint, aut cum eis illicitos, &

»inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Of-
»ficio S. Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur.
»Et præterea omnes hæretice pravitate Inquisitores,
»& locorum Ordinarios, omnium regnorum, provin-
»ciarum, civitatum, dominiorum, & locorum Univer-
»sitarum orbis christiani in suis quemque diocesis, & ter-
»ritoriis per has nostras literas, etiam private quoad
»omnes alios, specialiter ac perpetuo Judices delega-
»mus, ut super his, contra prædictos simul, vel sepe-
»ratim in omnibus, prout in causis Fidei juxta Sacro-
»rum canonum formam, nec non Officii Inquisitionis
»hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines,
»& decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos
»in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles
»reppererint, in eos pro criminum qualitate, & circum-
»stantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privatio-
»nis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorum-
»cumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non
»vocis activæ, & passivæ, si Regulares fuerint, exilii,
»damnationis ad tirrem, & carceris etiam in pepe-
»tuum absque ulla spe gratiæ, aliasque poenas decer-
»nant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviore
»poenas meruerint, debita præcedenti degradatione Cu-
»ria Seculari puniendos tradant.

»§. 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus fratri-
»bus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisi-
»toribus, ne delictum tam enorme & Ecclesie Dei tam
»perniciosum, ob probationum defectum sit impunitum,
»cum difficilis sit probationis, testibus etiam singulari-
»bus concurrentibus, presumptionibus, indicibus, & aliis
»adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo ju-
»dicandi, & Curie Seculari, ut præfertur reum traden-
»dum esse, pronuntiandi.

»§. 6. Non obstantibus omnibus, quæ dictis præde-
»cessor in suis literis prædictis voluit non obstat, cete-
»risque contrariis quibuscumque.

»§. 7. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Pœ-
»nitentes, quos noverit fuisse ab aliis, ut supra,
»sollicitatis, moneant de obligatione denunciandi solli-
»citantem, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitori-
»bus seu locorum Ordinariis prædictis: quod si hoc
»officium prætermiserint, vel Pœnitentes docuerint non
»teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes,
»seu tractantes, ut supra, iidem locorum Ordinarii,
»& Inquisitores illos pro modo culpæ puniri non ne-
»gligant.

»§. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis,
»etiam impressis, manu alicujus Notarii publici sub-
»scriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate eccle-
»siastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in ju-
»dicio, & extra ubique habeatur, quæ præsentibus
»habebatur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

»§. 9. Quodque eadem præsentis literæ, seu illarum

»exempla ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen-
»sis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie
»Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant,
»ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

»Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub
»annulo Piscator. die 30. August. 1622. Pontif. nostri
»anno 3.^o

»Hanc vero Gregorii XV. constitutionem Benedic-
»tus XIV. anno 1741. confirmavit, ampliavit, & exten-
»dit, altera sua Constitutione incip. Sacramentum Pœni-
»tentia: in qua & reservat Papæ pro tempore existenti
»absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes de sollicita-
»tione accusant, aut procurant ut ab aliis falso accusen-
»tur. (Verb. Regulares, art. 2.)

»Unde sollicitatio quantum ad propositum non est
»nisi provocatio, seu incitatio facta verbis, scriptis, sig-
»nis, nutibus, oculis, aut tactibus ad turpia, & inhonestam,
»id est, ad res carnales, seu venereas. Sic in re Com-
»munit Doctorum.

»Per personas sollicitantes intelliguntur hic omnes, & 4
»singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares
»cujuscumque dignitatis, aut præminentia existant. Com-
»munit, per expressa verba dicte Gregorianæ Constitutio-
»nis §. 1.

»Hinc sollicitans dicitur, & est denunciandus etiam 5
»Sacerdos non Confessarius, qui se fingens Confessa-
»rium, feminas, seu adolescentulos ad turpia, seu car-
»nalia provocat, & incitat: De ipso enim Sacerdote ve-
»rificatur, quod sollicitet prætextu Confessionis, quod
»sufficit de mente dicte Constitutionis, etiam Sacra-
»mentali Confessione non sequuta, ibi: Vel prætextu
»Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Sacramentali Confes-
»sione non sequuta. Et sic tenent Diana part. 1. tract. 4.
»resolut. 17. & part. 4. tract. 5. resolut. 8. Sanctius in
»selectis disput. 11. n. 39. Acugna tract. de Confess. sol-
»licit. q. 14. n. 4. Joannes Angelus Bossius in append. ad
»tract. de tripl. Jubil. privileg. dub. 9. Felix Potest. tom. 2.
»part. 3. cap. 2. n. 48. Rosignol. de Pœnitent. part. 1.
»q. 7. art. 2. n. 4. & seq. Castropol. & illi plures con-
»tra Borbon. Leandr. & alios volentes non esse denun-
»tiantium.

»Laicus autem fingens se Sacerdotem, & Confessa- 6
»rium, si sollicitet in Confessione, non est vi dicte con-
»stitutionis denunciandus, ut sollicitans, quia dicte con-
»stitutio expresse loquitur solum de Sacerdote, qualis
»non est Sacerdos falsus: Si autem voluisset etiam Sa-
»cerdotem fictum comprehendere, expressisset: Quod
»enim voluit expressit, argument. cap. Inter corporalia 2.
»de translat. Episcop. §. Sed neque istud, cap. Quia cir-
»ca 22. de privileg. & cap. Ad audientiam 12. de Decimis.
(Vid. lit. B. pag. 435. num. 88. & lit. C. pag. 161. an-
»te n. 49.) Tum quia odia sunt restringenda, cap. Odia 15.
»de Regulis juris in 6. Et in poenalibus benignior in-
»terpretatio faciendâ est, leg. Factum 15. ff. de Regulis
»juris §. 2. ibi: In poenalibus causis benignius interpre-
»tandum est, cap. In penis 49. de Regulis juris in 6. ibi:
»In penis benignior est interpretatio faciendâ. Et Concor-
»dat leg. Cum quidem 19. ff. de liberis, & cap. Statu-
»tum 22. de elect. in 6. Et sic defendunt Rodericus de Acugna
»tract. de Confessar. sollicit. q. 13. num. 1. & seq. Dia-
»na part. 1. tract. 4. resolut. 15. part. 4. tract. 5. resolut. 9.
»part. 10. tract. 4. resolut. 41. Castropol. tom. 1. tract. 4.
»disp. 9. punct. 9. num. 5. Leander de Sacrament. Pœni-
»tent. tract. 5. disp. 13. q. 36. Joann. Angelus Bossius in ap-
»pend. ad tract. de tripl. Jubil. privileg. dub. 10. Felix
»Potestas loc. cit. n. 48. Rosignol. loc. cit. n. 7. Viva ad
»Prop. 6. Alexandri VII. n. 9. & alii contra Escobar, Tri-
»marchum, & Freitam tenentes contrarium. (Vide verb.
»Canonice art. 4. num. 29. & lit. F. pag. 6. num. 47.
»etiamque verb. Filius, num. 13. in fin. ac verb. Moribun-
»dus num. 35.)

»Talis autem Laicus esse denunciandus tamquam 7
»suspectus de hæresi esset Pontificis constitutioni-
»bus, & signanter ex constit. Gregorii XIII. incip. Offi-
»cii nostri partes: præserim si simul audisset Confes-
»sionem, & absolutionem dedisset, & utramque qual-
»tatem requiri tenent passim Doctores ex verbis dicte
»cons-

constitutionis Gregorii XIII. ibi: Confessiones audire, &
»absolutionem impertiri ausi fuerint: Quamvis tamen ex
»constitutione Clementis VIII. incipient. Aliis: edita
»die 1. Decembr. 1601. non videatur requiri dicte qua-
»litas, scilicet, quod absolutionem impertitus fuerit:
»Cum in ipsa constitutione Pontifex subdat correctio-
»ni Inquisitionis eos, qui absque Presbyteratu audent
»Confessiones audire, nec ibi requirit qualitatem, quod
»absolutionem impertitus fuerint, ut inter alios recte no-
»tat Rosignol. loc. c. n. 9.

8 Fœminæ sollicitantes in Confessione Confessarios ad
»inhonestam non sunt denunciandæ. Communis. Et ratio
»est, quia lex mandat denunciari Confessarios, & non
»Pœnitentes sollicitantes: adeoque non est extendenda
»contra Pœnitentes sollicitantes Confessarios ad turpia,
»cum poenalia non sint extendenda ultra expressa, ar-
»gument. cap. Statutum 22. de election. in 6. ibi: Cum sit
»poenale, restringi potius convenit, quam laxari, & aliis
»civitas Doctorum.

9 Per personas sollicitatas intelliguntur hic fœminæ,
»& mares, puellæ, & pueri. Et jam Communis post dic-
»tam constitutionem Gregorii XV. per verba inibi ex-
»pressa: Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonestam,
»sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda
»Ly enim: Quæcumque illæ sint, additum personis,
»importat utrumque sexum.

10 Hinc tam mares, quam fœminæ quæcumque, etiam
»Moniales, & Mulieres nobiles sollicitate ad Confessarios
»ad turpia, tenentur ipsos denunciare. Et si valde ve-
»reantur id per se personaliter facere, monere debent
»Episcopum, seu Inquisitorem, ut mitat ad eas inter-
»nuntium pro denuntiatione recipienda, & satis expedi-
»ens est, ut delegetur, seu mittatur Confessarius, ut
»recipiat in scriptis, & cum juramento denuntiationem,
»juxta decretum Inquisitionis Roman. jussu Urbani VIII.
»27. Septembris 1624. apud Bordon. cap. 23. de sollicit.
»n. 89. his verbis: Et quando il Penitente tuttavia persiste
»nella medesima venienza, N. S. si contenta che dal Verco-
»vo, o Inquisitore, si dia autorità al Confessore di ricer-
»care per scrittura, e con giuramento, la denunzia per
»portarla subito a chi gli avrà data l' autorità di pig-
»liarla.

11 Sollicitatio autem fieri potest pluribus modis nempe
»scriptis, verbis, signis, nutibus, tactibus, oculis, & hu-
»jusmodi. Communis.

12 Unde Confessarius, qui in Sacramentali Confessione
»tribuit Pœnitenti, sive fœminæ, sive mari, chartam
»postea legendam, in qua ad venerem provocat, alicui
»seu incitat, tamquam vere sollicitans est denunciandus.
»Communis, & patet aperte ex propositione 6. inter me-
»rito damnata ab Alexandro VII. die 7. Septembris 1663.
»ibi: Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit
»Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem
»incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proin-
»de non est denunciandus.

13 Item vere sollicitat, & est denunciandus Confessa-
»rius ille qui per inhonestos sermones Pœnitentem ad ve-
»nerem alicui, seu incitat. Communis, per verba dicte
»Gregorianæ Constitutionis, ibi: Aut cum eis illicitos aut
»inhonestos sermones sive tractatus habuerint.

14 Et sic vere sollicitat, & denunciandus est Confes-
»sarius ille, qui in actu Confessionis, vel immediate an-
»te, seu post dicit Pœnitenti: Si ego essem secularis, vel-
»lem te solum ducere in uxorem. Vel ei dicit: Memento mei,
»quia ego te ex toto corde diligo. Vel Permite me, ut in
»domum tuam veniam, & amorem meum tibi ostendam. Vel
»pulchritudinem ipsius lascivis verbis commendat, &
»laudat, & hujusmodi. Diana part. 9. tract. 9. resolut. 31.
»Rosignol. loc. cit. sect. 3. num. 25. Felix Potestas loc. cit.
»num. 58. & 165. & alii plures contra paucos alios: Et
»ratio est, quia similia verba sine aliqua occasione in
»Confessione, seu immediate ante, vel post dicte, sunt
»impertinentia ad Confessionem, & vehementer provoca-
»tiva, & incitativa ad venerem.

15 Item vere sollicitat, & est denunciandus Confessa-
»rius ille qui signis, nutibus, oculis, vel tactibus las-
»civis Pœnitentem incitat, seu provocat, vel alicui ad
»FERRAS. BIBLIOTEC. IV. 1711.

actus venereos, ut si eam osculetur, vel fixis aspec-
»tibus lascivis, aut signis vere libidinosis, ei suum im-
»purum, & inhonestum amorem studeat aperire. Vel
»ei suas verecundas partes ad id ostendat, seu ille ip-
»sius tangat pedes, seu manus libidinose premat, & hu-
»jusmodi. Sic in re Communis, per verba dicte Grego-
»rianæ constitutionis, ibi: Ad inhonestam, sive inter se, si-
»ve cum aliis quomodolibet perpetranda: Similiter enim
»sunt omnia provocativa, incitativa, seu allicitiva ad
»venerem.

Item sollicitatio fieri potest in pluribus, & diversis 16
»temporibus, nempe vel tempore actualis Confessionis,
»seu immediate ante, vel immediate post, seu occasio-
»ne, vel prætextu Confessionis. Communis, per verba ex-
»pressa dicte constitutionis, ibi: In actu Sacramentalis
»Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasio-
»ne, vel prætextu Confessionis.

Unde Confessarius, qui tempore actualis Sacra- 17
»mentalis Confessionis aliquo ex supradictis obscenis
»modis Pœnitentem ad venerem, & inhonestam alicui, seu
»incitat, vere sollicitat, & est denunciandus. Communis,
»per ipsa clara verba dicte constitutionis: In actu Sa-
»cramentalis Confessionis. Et talis Confessarius est de-
»nuntiandus etiam non pro se, sed pro alio, seu no-
»mine alterius sollicitet. Communis, & clare habetur ex
»dicte Gregorii constitutione, ibi: Qui personas, quæ-
»cumque illæ sint, ad inhonestam sive inter se, sive cum
»aliis quomodolibet perpetranda. Et infra: Aut cum illis
»illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus habue-
»rint. Qui enim incitat, seu alicui, vel provocat ad in-
»honestam, & venerem cum aliis patranda, utrique illicitos,
»& inhonestos sermones cum incitato, seu provoca-
»to habet.

Confessarius, qui in Confessione per inhonestam verba 19
»ba cepit sollicitare fœminam ad turpia, quia eidem
»consensit, sed post illa verba statim desistit, nec tunc
»Confessarius impendit absolutionem, sed differit tum
»complementum sollicitationis, tum absolutionis, hoc
»non obstante est denunciandus. Communis. Verificatur
»enim de ipso, quod in Confessione habuerit cum Pœniten-
»te illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus, quod
»sufficit secundum Bullam ad incurrendas poenas contra
»sollicitantes infictas.

Confessarius, qui fœminam penitentem ante in- 20
»ceptam Confessionem, & dilata in aliud tempus Con-
»fessione, oculis, seu verbis, aut tactibus obscenis solli-
»citat, est tamquam vere sollicitans denunciandus.
»Communis, ipse enim sollicitavit penitentem immediate
»ante Confessionem, ut loquitur constitutio, & licet non
»sit sequuta Sacramentalis Confessio, adhuc Pontifex
»præcipit esse denunciandum, ibi: Etiam ipsa Sacramen-
»tali Confessione non sequuta.

Item denunciandus est Confessarius, qui immedi- 21
»te post Confessionem, & datam absolutionem, tradidit
»Pœnitenti chartam postea legendam, quæ continet ver-
»ba incitativa, & provocantia ad venerem. Sanctius in
»Selectis disp. 11. num. 31. Rosignolus loc. cit. sect. 3.
»num. 17. Viva ad proposit. 6. Alexandri VII. n. 5. & 7.
»vers. ad ultimam: Favet dicte damnata propositio al-
»lata supra num. 11. Et sic tenent plures alii contra Cas-
»tropol. & alios sentientes contrarium. Et ratio est, quia
»quantum est ex parte Confessarii, tunc immediate post
»Confessionem, ut loquitur Bulla, incipit Sollicitatio:
»Non enim requiritur, quod actio illa externa appareat
»mala immediate, quando Pœnitens accipit chartam, sed
»sufficit quod deinde innotescat malitia illius actionis
»externæ Confessarii, ut sit denunciandus: sicut si im-
»mediate post Confessionem sollicitaretur Pœnitens ver-
»bis ambiguis, deinde adverteret, quod certo ea verba
»in sensu sollicitatorio prolata fuerint, sine nullo dubio
»talem Confessarium, uti vere sollicitantem, teneretur
»denunciare.

Item denunciandus est Confessarius, qui post au- 22
»ditam Confessionem adolescentis, quem novit fuisse
»pluries sodomitice cognitum, immediate ipsum ducit
»ad proprium cubiculum, & ipsum ad turpia sollici-
»tat: Vel ipsi statim post Confessionem dicit: Veni ho-
»die

die ad meam domum, & tradam tibi chirographum tuæ Confessionis & ipsum illic perreclum, ad inhonestam, & venera sollicitam. Diana part. 4. tract. 4. resolut. 11. & tract. 5. resolut. 77. Leander de Sacrament. Penit. tract. 5. disp. 23. q. 35. Sousa lib. 1. c. 34. num. 39. Rosignol. loc. cit. sect. 3. num. 16. Felix Potestas loc. cit. num. 507. & alii. Et ratio est, quia de tali Confessario verificatur, ut præterit Bulla, quod sollicitaverit immediate post Confessionem, cum hujusmodi sollicitationes sint actiones continuatæ cum Confessione per signum externum per se ordinatum ad inhonestam datam immediate post Confessionem.

23 Item denunciandus est Confessarius, qui feminam in Confessione cognovit adulteram, & post ipsam Confessionem pro aliquo notabili tempore in Ecclesia commorata in recessu ad suam domum sollicitat: Vel ad ejus domum eadem die hac occasione pergit, ibique eam sollicitat. Sic defendunt Lezana in Summa qq. Regul. c. 19. num. 34. Bordon. in Manual. cons. sect. 25. numer. 38. Peyrinus, & Hurtadus apud Felicem Potestatem loc. cit. num. 503. qui licet cum Leandro, Diana, Castropal. & aliis sequatur sententiam contrariam, nempe non esse talem Confessarium denunciandum, tamen ibid. num. 504. concludit, quod nostra sententia affirmativa valde sibi arrideat, si sollicitatio contingat eodem die, & ex peccato carnis in Confessione auditio, quia videtur facta occasione Confessionis, qua cognovit Penitentem proclivem ad venerem, & præsertim si sit facta eodem die, cum Hurtadus absolute velit, quod peccatum carnis à Confessario cum Penitente commissum intra 24. horas post Confessionem sit casus denuntiatio: Talis enim sollicitatio facta eodem die censetur facta incontinenti, argum. leg. Quod ait 23. §. 4. ff. Ad Legem, Juliam, de adulteris, ubi dicitur, quod si pater occidat filiam deprehensam adulteram eodem die, interpositis horis, censeatur incontinenti occidisse, ibi: Sed si dum adulterum occidit, profugit filia, & interpositis horis, adprehensa est à patre, qui persequatur, incontinenti videbitur occidisse. Et sic tenet etiam Graff. tom. 1. consil. l. 4. de cognat. spirit. consil. 1. num. 37. & de casibus reservatis lib. 2. cap. 12. n. 30. & alii. Quamvis tamen Rosignol. loc. cit. sect. 3. num. 16. & 18. Scortia in Bull. Pontificum epist. 77. Theor. 197. Leander, Diana, Castropal. & alii sustineant oppositum. (Licet verum Persequatur in dict. leg. 23. insertum veluti doctrinam confirmet: tamen ut de homicidio non teneatur similem patrans delictum, videtur excusationem ullam non mereri: nostræ enim leges 4. tit. 23. lib. 8. Recop. 3. tit. 8. 13. & 14. tit. 17. p. 7. 6. tit. 7. lib. 4. For. Reg. atque 4. tit. 13. lib. 8. Ord. Reg. stricte, & rigorose acceptæ de adultero loquuntur in fraganti reperto, ideo nisi persequitio, de qua in dict. leg. nullam habeat intermissionem, quamquam incontinenti facta occisio credatur, ab homicidii pœna non liberabitur, vid. verb. Adulterium, & lit. H. p. 132. col. 2. vers. præterit Notata:)

24 Item denunciandus est Confessarius, qui vocatus hodie à muliere ad audiendam ejus Confessionem domi, sequenti die, illic perreclum, eam postposita Confessione sollicitavit. Bordon. in Manual. consil. sect. 25. num. 38. Felix Potestas loc. cit. num. 510. & alii: Et ratio est, quia ipse vere sollicitavit occasione Confessionis, ut vult Bulla, cum occasione sollicitandi accepit à Confessione petita à persona vere confiteri volente.

25 Item denunciandus est Confessarius, qui hodie mulierem pro sequenti die ad Confessionem invitat, & ipsam, antequam accedat ad Confessionarium, prævenit, & sollicitat. Bordon. loc. cit. num. 39. Felix Potestas loc. cit. num. 512. & alii. Et ratio est, quia in tali Confessario verificatur, quod dicit Bulla, nempe quod sollicitet prætextu Confessionis; Dicitio enim sub prætextu idem significat, quod sub velamine, vel colore alicujus rei, quæ non est, seu falsa est, vel jam desinit, leg. Sub prætextu 19. Cod. de transacion. adeoque, &c. (Ad rem leg. 57. tit. 5. §. 34. tit. 14. p. 5.)

26 Item sollicitatio fieri potest in pluribus & diversis locis, nempe vel in Confessionario, vel in loco quo-

cumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo. Communis, per expressa verba in toties citata Gregoriana constitutione, ibi: Sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo.

Unde Confessarius in Confessionario sedens, si mulierem se accedentem, non ut confiteatur, sed alicujus negotii causa sollicitet, est denunciandus. Sic Diana part. 1. tract. 4. resolut. 18. part. 4. tract. 5. resolut. 38. Bordon. in sacro tribum. cap. 23. num. 6. Rosignol. l. cit. sect. 3. n. 12. & 13. Felix Potest. l. c. n. 522. & 523. Escobar, Trullench. apud Leandrum de Sacrament. Penit. tract. 5. disp. 23. q. 30. & habetur expresse decisum in decreto Pauli V. ut sequitur.

Feria V. die 10. Julii 1614.

In Generali Congregatione Sanctæ Romane, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico coram S. D. N. D. Paulo Divina Providentia Papa V. & facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionibus extra occasionem, Confessionis de rebus inhonestis, S. S. decernit, ut contra hujusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio.

Nec valet objicere cum Leandro l. cit. q. 30. & apud ipsum Freita, Fagundes, Sousa, Castropalao, Lezana, Sanctio, Hurtado, Bossio, Donato tom. 3. tract. 13. q. 53. & aliis, quod dictum Decretum Pauli V. fuit moderatum, ac restrictum à Gregorio XV. in cit. const. Universi Dominici, Gregis: ad terminos simulationis Confessionis in Confessionario per illa verba: Simulantes ibidem Confessiones audire, non referuntur ad sollicitationem factam in Confessionario: Non valet, inquam, quia illa verba: Simulantes ibidem Confessiones audire, non referuntur ad sollicitationem factam in Confessionario, sed in aliis locis, in quibus ex electione Confessarii quandoque audiuntur Confessiones; quæ loca secundum se sunt indifferentia pro quocumque munere: In his enim requiritur simulatio Confessionis, ut fiat determinatio, quæ limitatio non videtur requiri quoad Confessionarium, cum hoc ex se sit determinatum ad hoc munus.

Hinc denunciandus est Confessarius qui in loco, ubi Confessiones audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulans ibidem Confessiones audire, mulierem ad inhonestam, & venera sollicitat. Communis, per verba expressa in toties repetita Gregoriana Constitutione, ibi: Aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulans ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint. Confessarii sollicitantes Penitentes in Confessione, vel occasione, seu prætextu Confessionis, tam in Confessionario, quam in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, non ad venera, seu turpia in hoc genere, sed alia peccata, non subjacent pœnis sollicitantium, nec ut tales sollicitantes sunt denunciandi. Sic Rosignol. loc. cit. sect. 2. num. 11. Peyrinus tom. 2. priv. Minorum in consil. IV. Gregorii XV. num. 7. Lezana in Summa qq. Regular. tom. 1. cap. 19. n. 34. Sanctarel. in tract. de Hæresi cap. 44. n. 19. Bonacina de onere, & oblig. denuntiat. disp. 6. punct. 3. n. 13. Venerus de examin. Episc. l. 5. c. 17. n. 18. Sanctius in selectis disp. 11. n. 23. & alii. Et ratio est, quia dicta Gregoriana constitutio, sicuti & alie præcise loquuntur de sollicitantibus, seu provocantibus, & incitantibus ad venera, & inhonestam, unde extra illa non est faciendæ extensio, per citata Jura supra n. 5. & 7.

Item denunciandi non sunt ex vi dictarum constitutionum Pontificiarum Confessarii, qui Penitentes sollicitant, non in Confessione Sacramentali, sed in aliis Sacramentis, nempe in ministracione Baptismi, Eucharistie, &c. Sic Rosignolus loc. cit. sect. 2. num. 6. Diana part. 4. tr. 15. res. 16. Rodericus Acugna tr. de Confessar. sollicit. q. 16. num. 4. Sanctarel. loc. cit. cap. 46. num. 5. Bonacina loc. cit. l. 14. Sanctius loc. cit. n. 42. Le-

Lezana in Summa qq. Regul. tom. 1. cap. 19. num. 34. & alii. Et ratio est eadem, quæ adducta est num. anteced. quia dictæ Pontificiæ constitutiones loquuntur præcise de sollicitantibus in Confessione, non autem in ministracione aliorum Sacramentorum, adeoque non est faciendæ extensio per citata Jura supra num. 5. & 7.

Item præter eandem rationem Rosignol. loc. cit. sect. 1. num. 14. Lezana loc. cit. num. 34. Peyrin. loc. cit. num. 9. & 10. Bonacina loc. cit. num. 17. Sanctarel. loc. cit. cap. 46. num. 2. Sanctius loc. cit. num. 25. Homobonus de exam. Eccles. tom. 2. tractat. 11. cap. 12. quest. 26. Donatus tom. 3. tractat. 13. quest. 53. Thomas Hurtadus, Portell. Castropal. Freita, Bossius, Delbene, & alii citati, licet non secuti à Felix Potest. loc. cit. n. 579. defendunt, quod Confessarius feminæ sollicitanti consentiens non sit denunciandus, quia Bulla loquitur solum de Confessariis sollicitantibus, qualis non est iste, Nec consensus per ipsum præstitus feminæ sollicitanti constituit illum reum sollicitationis activæ, sed reum passivæ culpabilis; pœnæ autem inflicte contra sollicitantem activum non extenduntur ad passivum, argum. in citatis Juribus supra num. 5. & 7.

¶ Sententia eximens ab onere denuntiationis nullo modo tenenda est, ut constitutiones Pontificiæ considerant manifestum fit.

¶ Equidem dicta sententia non est sequenda, nec eam sequor ego, qui quamvis ibi ad eruditionem referam Auctores cum suis rationibus am tenentes; tamen cum aliis ibi allegatis teneo, talem Confessarium esse denunciandum, hac potissimum ratione, quia licet de ipso non verificetur, quod sit sollicitans, sed sollicitatus, verificatur tamen de ipso, quod cum penitente habeat illicitos & inhonestos sermones, seu tractatus prætextu, seu occasione Confessionis, quod sufficit pro debito ipso denunciandi ex præcisus verbis dictæ Gregorianæ constituti. ibi, aut cum eis illicitis, & inhonestis sermonibus sive tractatus habuerint. Vide ad rem num. seq. verba Constitutionis Benedicti XIV. quæ incip. Sacramentum Penitentis. Vid. verb. Regularis. art. 2. in add. Hispan. 4.

22 Diana autem part. 4. tract. 5. resolut. 4. & 42. Leander tract. 5. de Penitentia disp. 13. quest. 43. Felix Potestas loc. cit. num. 579. Fagundes, & alii tenent, talem Confessarium esse denunciandum, quia licet de ipso non verificetur, quod sit sollicitans, sed sollicitatus, verificatur tamen de ipso, quod cum Penitente habeat illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus prætextu, seu occasione Confessionis, quod sufficit pro debito ipso denunciandi ex præcisus verbis dictæ Gregorianæ constitutionis, ibi: Aut cum eis illicitis, & inhonestis sermonibus sive tractatus habuerint. At vero prima negativæ sententiæ Patroni inter alias responsiones dicunt, talia verba, seu tales tractatus intelligenda, seu intelligendos esse, quando orum habuerunt ab ipso Confessario, quod colligitur ex contextu verborum, nam Bulla dicit denunciandos esse illos Confessarios, qui Penitentes sollicitant, aut provocare tentaverint, aut cum eis, hoc est, Penitentibus, illicitis, aut inhonestis sermonibus, seu tractatus habuerint: Iy autem Cum eis, cum sit sermo continuatus, habet connexionem cum præcedentibus, quæ indicant testamentum factum à Confessario, & propterea important sermonem, seu tractatum inducunt in origine ab eodem Confessario, quod non verificatur in hoc casu, cum talis illicitus, aut inhonestus sermo, seu tractatus incursum sit in origine à Penitente sollicitante, & non à Confessario sollicitato.

23 Penitentes tenentur sub mortali denuntiare Confessarium sui sollicitatorem Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis: Et de tali obligatione tenentur etiam sub mortali eos nonnisi Confessarii, qui eos fuisse ab aliis sollicitatos cognoverint: Agitur enim de re gravissima, & de execrabili & nefando abusu Sacramenti, & id sub positivo, & gravi præcepto expresse mandat à Pontifice in dicta constitutione §. 7. ibi: Mandantes omnibus Confessariis, ut suos Penitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, nonnisi de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractan-

tes, Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis. Denuntiare Confessarium sollicitantem tenentur non solum Penitentes sollicitati, sed etiam omnes illi, qui certo sciunt sollicitationem, quatenus nempe quis propriis oculis vidit, aut propriis auribus eam audivit, seu ex proprio ore Confessarii sollicitantis, aut Penitentis sollicitati, qui sit fide dignus, & bonæ famæ, immediate audivit, & bene intellexit. Diana part. 1. tr. 4. resolut. 24. & p. 9. tr. 8. resolut. 46. Freitas in addit. ad tr. de Confess. sollicit. q. 21. num. 26. Fagundes p. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. Rosignol. loc. cit. sect. 2. num. 13. Tancred. tom. 4. tract. 1. de Penitent. quest. 23. Felix Potestas loc. cit. num. 590. & alii passim.

Si autem tales non bene recorderent verborum, vel non recorderent à quibus audierint, vel audierint à personis levibus, & non fide dignis, non teneri ad denunciandum docent Bordonus loc. cit. num. 94. Tancred. tom. 4. tr. 1. de Penitent. q. 23. Leander l. c. quest. 57. cum Trullench, Rodriq. Portell. Cordub. Navarro, & Hurtado ibi citatis, & alii plures, quia dicunt in dubio sollicitationis non est onus denunciandi, cum in dubiis ex una parte quisque suam possideat libertatem, meliorque sit condicio possidentis, cap. Ad aures 6. de præscriptionibus cap. Quod autem 5. de Jurispatronat. cap. In pari 65. ff. de Regulis Juris, leg. Nemo 126. §. 2. ff. de Regulis Juris, & leg. In pari 128. ff. de eodem. Et ex alia parte favendum sit Reo, argumens. cap. Sunt, de Reg. Juris in 6. & promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, cap. Ex literis 3. de probationibus, cum similibus: Tum quia dubia in meliorem, & benigniorem partem sunt interpretanda, leg. Ea que 192. ff. de Regulis Juris, ibi: In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam verius. Et concordat. loc. Sempit. 56. ff. eod. ibi: Sempit. in dubiis benigniora præferenda sunt, & leg. Si fuerit 10. ff. de rebus dubiis, ibi: In ambiguis rebus humaniorum sententiam sequi oportet, & cap. In obscuro 30. de Regulis Juris in 6. ibi: In obscuris minimum est sequendum, cum similibus. Diana tamen part. 4. tract. 5. res. 28. Felix Potestas loc. cit. num. 592. Spatharius, & alii tenent contrarium. (Vid. verb. Conscientia, verb. Fillus, num. 13. & verb. Moribundus, num. 37. Restitutio, art. ult. num. 20.)

24 Moniales, & mulieres nobiles sollicitatæ à Confessariis tenentur eos denunciare, quamvis id facere valde vereantur, & assignatur aptior modus id faciendi ex decreto relato supra num. 10.

25 Confessarius sollicitans non tenetur denunciare se ipsum, nec monere Penitentem, ut ipsum denuntiet. Diana part. 1. tract. 4. resolut. 8. Reiffenstuel theol. moral. tract. 14. distinct. 8. quest. 5. num. 65. cum aliis ibi citatis, Leander loc. cit. quest. 42. Felix Potestas loc. cit. num. 493. & alii passim. De Jure enim nature nemo tenetur prodere se ipsum; cap. Quis aliquando 87. de Penit. dist. 1. (Vide verb. Monitorium num. 27.) Et clare patet ex verbis dictæ constitutionis Gregorianæ, ibi: Ut suos Penitentes, quos noverit fuisse ab aliis sollicitatos, &c. ubi nota, quod Bulla dicit ab aliis, non autem à se ipso sollicitato.

26 Nec pater, mater, filius, frater, soror tenentur ipsum denunciare; leg. Quarta §. 4. ff. de testibus, relat. in cap. Si testes 3. caus. 4. q. 2. §. 3. Diana part. 1. tract. 4. resolut. 6. Tancred. tom. 4. tract. 1. q. 23. Felix Potestas loc. cit. n. 599. vers. Pariter, & alii.

27 Nec denunciare tenetur Penitens, si exinde prudenter, & probabiliter timeat grave, & ingens malum sibi, aut suis conjunctissimis, nempe patri, matri; marito, filijs, aut fratribus; præcepta enim humana non obligant cum tam gravi sub, suorumque conjunctissimorum nocumento; Leander loc. cit. quest. 44. Lezana tom. 1. qq. Reg. cap. 19. num. 34. Roderic. Acugna tr. de Confessorum sollicit. qq. 17. Felix Potestas loc. cit. num. 493. & 599. Peyrin. & alii plures. Rosignol. tamen loc. cit. sect. 2. num. 6. Bonacina de onere, & obligat. denunt. disp. 6. punct. 3. num. 11. in respons. 2. ad object. 2. & alii defendunt oppositum.

28 Denuntiatio Confessarii sollicitantis faciendæ est Episcopis.

Episcopi, vel Inquisitoribus. *Communis*, per verba expressa toties repetita constitutionis, ibi: *Moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut praefertur, tractantes, Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis.*

42 Episcopi sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicae: Episcopi enim etiam in causa heresis non subduntur Inquisitoribus, cap. Inquisitores 16. de Hereticis in 6. & Conc. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 5. Et sic tenent Leander tract. 5. de Penitent. disput. 13. quest. 50. Thom. Hurtad. Castrop. Fagund. & alii apud ipsam, Felix Potestas loc. cit. n. 621. pluresque alii. Rosignol. autem loc. cit. art. 21. num. 10. & seq. cum aliis ibi citatis dicit, quod Episcopi sollicitantes denunciandi sint Inquisitoribus, qui tamen nequeunt contra illos procedere, nec testes assumere, sed tenentur rem ad summum Pontificem deferre.

43 Inquisitores sollicitantes, ubi sunt veri Delegati Sedis Apostolicae, & ejus Officiales, sunt denunciandi ipsi Sedi Apostolicae; Ubi vero sunt solum subdelegati, & Commissarii Inquisitoris Generalis, sunt denunciandi ipsi Inquisitori Generali; Sic in re Communis.

44 Generales Ordinum Regularium sollicitantes denunciandi sunt Inquisitoribus, vel Episcopis; Communis, per verba expressa citat Bullae Gregorii, ibi: *Regulares cujuscumque dignitatis, & praeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant.*

45 Denuntiatione autem accepta, non posse ulterius Inquisitores contra dictos Generales procedere, sed debere rem totam deferre ad Sedem Apostolicam, docent Bordon. in Saero Tribunal. cap. 27. num. 27. & uterque Rodriq. Pegna, & Navarr. relati ad Diana p. 4. tr. 8. resolut. 23. & etiam alii plures, per text. in cit. cap. Inquisitores 16. de Hereticis in 6. ibi: *Si tamen Inquisitores ipsi Episcopos, vel alios Superiores Praelatos sciaverint, vel incenserint circa crimen haereseos commississe, aut eos de hoc diffamatos existere, vel suspectos, id tenebuntur Sedi Apostolicae denunciare.* Diana tamen loc. cit. Felix Potestas loc. cit. num. 626. Freitas, & alii volunt etiam puniendos esse Generales in Officio Sanctissimae Inquisitionis per clara, & generalia verba. Omnes Regulares cujuscumque dignitatis, & praeminentiae, aut quovis privilegio munitos comprehendenda, & statuenda in officio Sanctissimae Inquisitionis severissime, ut puniendos, ibi: *In officio SS. Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur.*

46 Obligati ad denunciandum Confessarios sollicitantes, si absque legitima causa, & vero impedimento negligant ipsos intra praefixum tempus denunciare, in illo peccatum mortale incurrit etiam excommunicationem late sententiae ex decreto Supremae, & Universalis Romanae Inquisitionis die 3. Januarii 1623. relato ad Diana part. 4. tract. 5. resolut. 41. in quo praecipitur sub excommunicatione majori late sententiae denunciandos esse Hereticos, aut de haeresi suspectos, intra duodecim dies a noticia delicti, Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, quod decretum esse perpetuum asserit Diana loc. cit. contra Bordon. In tribunal. Fidei cap. 30. num. 2.

47 Nec obstat, quod Confessarius credatur jam emendatus, vel elapsum sit jam multum tempus a facta sollicitatione, quia adhuc urget praecipitum, & obligatio denuntiationis, Carena de Sancto Officio pag. 2. de Confessor. sollicit. tit. 6. §. 20. num. 126. & seq. Castrop. in suo opere moral. §. 10. num. 1. Bonacina disp. 6. punct. 3. num. 9. vers. Haec limitatio in Diana part. 4. tract. 5. resolut. 23. cum Bonacina, Suarez, & aliis ibi citatis, Dalbene part. 1. tit. 18. §. part. 2. tit. 237. sect. 13. p. 1. cum pluribus aliis ibi allegatis, Felix Potestas loc. cit. num. 606. Rosignol. loc. cit. sect. 3. num. 23. & alii plures. Et ratio est, quia hoc onus denuntiationis non solum inducitur esse ad finem emendationis, sed etiam ad finem exemplaris punitionis, ut alii deterreantur ab hoc execrabili, & nefando crimine perpetrando, qui finis adhuc viget etiam si postea emendatione Confessarii sollicitantis, adeoque &c.

48 Leander autem tract. 5. de Penitent. disp. 13. q. 7. & apud ipsam vocis, Moyses, Na. dus, Acugna, Brei-

tas, Portell. Peyrin. Sousa, Lezana, Castrop. S. Antoninus, & alii defendunt oppositum, quia dicunt finis denuntiationis est emendatio proximi: Unde hac habita, cessat obligatio denuntiationis, quia cessat ejus finis, cum cessante ratione, & causa legis, vel obligationis, cesset ipsa lex, seu obligatio; l. Adigere 6. §. 2. ff. de Jurejur. cap. Cum cessante 60. de appellat. Ratio enim legis est anima legis; l. Cum ratio 7. ff. de bonis damnator. At isti hodie non sunt amplius audiendi ex const. Sacramentum Penitentiae Benedicti XIV. ubi sub §. 2. obligat ad denuntiationem, etsi longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit. (Vid. lit. E. pag. 362. num. 38. in fin. & lit. I. pag. 7. n. 34.)

Prima sententia vera est, posterior vero falsa. Vide Antoine.

Et revera posterior sententia falsa est, sed prima sola vera, quam teneo ego ibi cum solidis fundamentis, solvendo insuper adversariorum objectiones, ut patet num. 47. Hoc etiam novissime declaravit expresse Benedictus XIV. in mox cit. constit. Sacramentum Penitentiae §. 2. ibi: *Etiam si sollicitatio inter Confessarium & penitentem mutua fuerit, sive sollicitatio penitentis consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit. Vide ipsam constitutionem num. 20. in ordine, primo tomo sui Bullarii editionis Romanae pag. 51. & seq. Vid. sup. num. 32. ¶*

Terminus pro denuntiatione facienda pendet ab edictis Inquisitorum, licet enim onus denuntiationis directe oriatur ex lege Pontificia, executive tamen pendet ab edictis Inquisitorum, qui sub poena excommunicationis compellunt intra determinatum tempus ad executionem & observantiam talis oneris. Carena part. 2. de Confess. sollicit. tit. 6. §. 21. num. 120. Sanciarellus de haeresi cap. 46. num. 10. Bonacina de onere, & obligatione denuntiat. disp. 1. punct. 3. num. 10. Bellocchius de casibus reserv. p. quart. 9. num. 205. Rosignol. loc. cit. sect. 4. num. 3. Felix Potestas loc. cit. num. 631. Leander loc. cit. quest. 53. ubi testatur, quod in edicto inquisit. Hispan. solent assignari sex, aut septem dies pro termino ad denunciandos Confessarios sollicitantes, qui terminus solet assignari etiam in edicto Inquisit. Sicilie, ut refert Felix Potestas loc. cit. num. 634. Unde quatenus Decretum Supremae, & Universalis Inquisitionis Romanae die 3. Januarii 1623. relatum supra num. 46. assignans pro termino 12. dies, non sit perpetuum, ut contendit Bordonus, & alii, standum est termino praefixo ad respectivos Inquisitoribus cum hac advertentia, quod dies termini non computantur in termino; leg. Vicensa millia 1. ff. Si quis cautionibus, cap. Frequens 1. cum concordant. de quibus ibi per Glossam in verb. Proponitur, de restit. spol. in 6. Diana part. 4. tract. 5. resolut. 41. Felix Potestas loc. cit. n. 632. & alii. (Vid. lit. L. pag. 314. col. 2. num. 25.)

Penitens sollicitatus, qui ob non factam denuntiationem intra debitum terminum incurrit excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, & promittat se statim denuntiatum, non potest ab ipso absolvi virtute Bullae Cruciatæ, nec vigore privilegiorum Regularium, si ipse Confessarius sit Regularis; nam non potest quis absolvi a peccatis, nisi prius absolvatur a censuris. A censuris autem non potest quis absolvi per Bullam Cruciatæ, & per Privilegiatos, nisi satisfacta parte; adeoque talis Penitens, non obstante dicta promissione, non potest absolvi, nisi prius denantiet. Diana part. 4. tract. 5. resolut. 35. Felix Potestas loc. cit. num. 640. & alii contra alios.

Penitens sollicitatus, qui ob omnissam denuntiationem incidit in excommunicationem, facta postea denuntiatione, potest quidem absolvi virtute Bullae Cruciatæ, aut à Regularibus virtute suorum privilegiorum; At non à simplici Confessario Bordon. tribunal. Fidei cap. 30. num. 19. Felix Potestas loc. cit. num. 641. Diana loc. cit. resolut. 29. & alii. Et ratio primæ partis est, quia Confessarii virtute Bullae Cruciatæ, & Regulares virtute suorum privilegiorum possunt, satisfacta parte, ab omnibus reservatis Summo Pontifici, exceptis in Bulla

lae Coenæ, & aliis Clementinis, ut patet sub verb. Absolutio, verb. Confessarius, & verb. Reservatio Casuum: Ratio autem secundæ partis est, quia talis excommunicatio est reservata Pontifici, & Inquisitoribus, ut patet ex eorum edictis, & ex decreto die 3. Januarii 1623. relato supra num. 46. adeoque non potest absolvi à simplici Confessario non habente ad id privilegium.

Sic Penitens sollicitatus, qui intra debitum terminum non denuntiavit, quamvis postea extingatur onus denuntiationis, ex quo mortuus sit confessorius denunciandus, aut ex alio capite, non potest absolvi à quolibet simplici Confessario, sed solum à supraddictis Privilegiatis propter rationem adductam. Leander tract. 5. de Penitentia disp. 13. quest. 59. Felix Potestas loc. cit. num. 642. Diana loc. cit. resolut. 29. recte advertens insuper quod tam in hoc, quam in ceteris casibus Inquisitionis, illi, qui denuntiare neglexerunt, quando postea denuntiant, & sic parti satisfaciunt, possunt à Confessariis Regularibus, & ab aliis virtute Bullae Cruciatæ absolvi absque ullo onere se presentandi Inquisitoribus.

Confessarius sollicitans potest à quolibet simplici Confessario absolvi, quia sollicitatio nullo Jure est reservata, nisi tamen reservata sit in aliqua diocesi, ut in Neapolitana, & aliis. Felix Potestas loc. cit. num. 601. & alii passim.

Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere Penitentes sollicitatos, nisi prius sollicitantes denuntiant Inquisitoribus vel Episcopis. Avila de censuris p. 2. cap. 7. dub. 7. in fine. Rosignol. loc. cit. sect. 4. n. 4. Diana p. 1. tract. 4. resolut. 27. Felix Potestas l. c. n. 638. & alii: Tales enim Penitentes una semel quod sunt absoluti, non curant amplius denuntiare.

Dicitur autem notanter: Regulariter loquendo, quia in aliquibus casibus expedit, quod Confessarii ipsos absolvant ante factam denuntiationem, & signanter si urgeat necessitas Communionis, aut aliqua adsit justa causa, ob quam prudenius Confessarii iudicent denuntiationem esse differendam, & Penitentes sint timoratae conscientiae, & serio promittant quamprimum denuntiare. Sic Zanardus in direct. theol. p. 1. precept. 2. cap. 11. in fine. Rosignol. loc. cit. num. 5. Felix Potestas loc. cit. num. 639. Diana p. 1. tract. 4. resolut. 27. cum aliis ibi citatis. Et idem docent in similibus casibus Emmanuel Rodriguez in Summa tom. 2. cap. 34. n. 6. Sanciarell. de haeresi cap. 9. dub. unic. num. 16. in fin. Peyrinus in privileg. Mitin. tom. 1. constit. 5. Gregor. XV. §. 9. num. 24. & alii.

Inmo cautissime procedere debent Confessarii circa imponendam Penitentibus obligationem denunciandi, antequam eos absolvant, ut recte monent Lezana in Summa qq. Regul. cap. 19. num. 34. Peyrin. loc. cit. n. 26. & alii passim, ipsos Confessarios serio monentes, ut antequam Penitentes obligent ad denunciandos Confessarios, diligentissime attendant qualitates, & conditiones, tum Penitentium, tum Confessoriorum, & mature examinent naturam & sensum verborum, & significatum signorum, nutuum, tactuum, & hujusmodi praetense sollicitationis, & ubi ex ipsis non appareat certa sollicitatio, seu de se cognoscere nequeant, an vera in his interesset sollicitatio denunciandi, remittant ad alios Confessarios in his materiis instructiores, & expertiores: Cum non semel à non satis instructis Confessariis immerito fuerint obligati Penitentes ad denunciandos innocentes Confessarios cum maximo detrimento suae famæ, & gravissima sua injusta afflictione, & poena, eo vel maxime quod, ut docent Bordonus l. c. num. 592. & alii, in dubio sollicitationis non sit onus denunciandi. Vide supra num. 35.

In casu vero, quo reperitur, atque certo percipitur, intervenisse veram sollicitationem, nec possit Penitens induci ad personaliter denunciandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, & ordinarie in Monialibus ratione etiam clausurae, servanda est expediens praxis juxta decretum Sacrae Congregat. supremæ, & Universalis Inquisitionis, illat. supra num. 10. Quod si neque ad id possit talis verecunda Penitens

flecti, voluit Pontifex Urbanus VIII. de cujus mandato edictum fuit dictum decretum, quod ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio; interim non absolvatur talis Penitens, utpote indisposita. Sic ex Carena §. 10. refert Viva ad propar. Alexandri VII. num. 7. ubi subiungit, quod in casu non absimili adit ipse per epistolam Innocentium XI. qui benigne dignatus facultatem ei tribuere absolvendi pro ea vice Penitentem circa onus denunciandi, quod fatebatur subire non posse panici cuiusdam timoris praetextu.

Non est autem sufficiens modus evadendi obligationem denunciandi sollicitationis, si Penitens sollicitatus confiteatur cum Confessario sollicitante sub praetextu, quod hic possit ipsum absolvere absque onere denunciandi. Communis, ac certa, per expresse damnatam propositionem 7. in ordine ab Alexandro VII. die 7. Septemb. 1665. ibi: *Modus evadendi obligationem denunciandi sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.*

Quamvis enim Confessarius desinat Penitentem monere de obligatione ipsum denunciandi, ad quod non teneri constat ex dictis supra num. 37. adhuc tamen non cessat in Penitente obligatio ipsum, seu alium Confessarium sollicitantem denunciandi, si aliunde sciat se ad id lege Pontificia obligari; sicuti non cessat onus restitutionis in Penitente, ex quo Confessarius desinat ipsum monere de tali obligatione, si aliunde eam sciat, nec invincibiliter ipsam ignoret, ut recte docet Viva ad dictam propositionem 7. Alexandri VII. n. 3. & alii passim.

Confessarii autem, qui culpabiliter, & malitiose non monent Penitentes ab aliis sollicitatis de obligatione eos denunciandi, seu docent ad id non teneri, denunciandi sunt Episcopis, vel Inquisitoribus qui possunt, & debent illos punire pro modo culpæ; Diana p. 4. tract. 7. resolut. 7. Rosignol. loc. cit. sect. 4. num. 7. & alii passim per clara verba cit. constit. Gregorianæ, ibi: *Quod si hoc Officium praetermiserint, vel penitentes docuerint non teneri ad denunciandum, Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

Confessarii autem ipsi vere sollicitantes gravissimis poenis pro qualitate delicti puniri mandantur, ut expresse patet in dicta Gregoriana constitutione §. 4. ibi: *Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab exercitio Ordinis, privationis beneficiorum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis active, & passive, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad Triremes, & carceris etiam in perpetuum absque ulla spe gratiae, aliasque poenas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores poenas meruerint, debita praecedente degradatione, Curia Seculari puniendos tradant.*

Contra Confessarios sollicitantes æque procedere possunt Episcopi, & Inquisitores sive unitim, sive separatim: Sic expresse Gregorius XV. in dicta constitutione incipiente Universi Dominici gregis §. 1. ibi: *Omnes haereticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, & locorum universi orbis christiani in suis quoque diocibus, & territoriis per has nostras literas, etiam privative quoad alios omnes specialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut supra his contra predictos simul, vel separatim in omnibus prout in causis Fidei, &c.*

Ad probandum enorme delictum sollicitationis admittuntur etiam testes singulares, concurrentibus tamen praesumptionibus, indicis, & aliis adminiculis simul comprobantibus: Sic expresse Gregorius XV. in cit. const. §. ibi: *Dantes etiam facultatem Venerab. Fratrum nostris S. R. E. Cardinalibus, Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & ecclesiae Dei tam perniciosum, ob probationum defectum impunitum remaneat, cum difficultis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus praesumptionibus, indicis, & aliis admi-*

miniculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curia Seculari, ut praefertur, Reum tradendum esse pronuntiandi.

65 Una tamen femina, quantumvis honesta, non facit sufficientem probationem ad capturam, & torturam, etiamsi concurrant alia indicia, nam tunc est consulenda Sacra Congregatio. Sic expresse rescripsit eadem Sacra Suprema, & universalis Inquisitionis Congregatio Vicario Generali Salernitano die 17. Jul. 1627. ut refert Pignatell. tom. 1. consulti. 104. post num. 14. circa medium, his verbis: Al molto Rever. Signore il Signor Vicario Generale di Salerno. Accioche piu profondamente si proceda contro i sollicitanti in Confessione, questa suprema Congregazione ordina, che per il detto d'una sola Donna non venga a costituire il preteso Reo senza prima darne qui avoito con relazione della qualita della Donna, e del Denonciante e del Denoncianto, e allora si scrivera a V. S. se debba, o no procedere a costituirlo, e carcerarlo. Sarà anche V. S. contenta di significare questo medesimo ordine a' Vescovi suoi Comprovinciali, accioche ancora da essi sia eseguito, e il Signor Idio le conceda ogni bene. Di Roma ai 17. de Luglio del 1627. Il Cardinal Millino. Sic apud Pignatell. loc. cit. ubi insuper tradit instructionem pro muliere verecunda personaliter denuntiante recusante, & multa refert, & docet ad rem per totam dictam consultationem 104. merito legendam.

66 Circa sollicitationem attendenda est nunc novissima dispositio Benedicti XIV. felicis record. incip. Sacramentum Penitentiae: in qua confirmat, ampliat, & extendit supra allatam constitutionem Gregorii XV. & reservat Papae pro tempore absolutionem eorum, qui falso sacerdotibus de sollicitatione accusant, aut procurant, ut ab aliis falso accusentur. (Vid. verb. Regulares in una ex add. hisp.)

67 Sollicitantes ad turpia occasione, Confessionis Sacramentalis, ultra alias penas perpetuas, etiam inhabilitatem ad celebrationem missae incurrunt; ex decreto S. Universalis Inquisitionis de mandato Benedicti XIV. edito die 4. Aug. 1744. ut in ejus Bullario tom. 2. in append. num. 8. pag. 46. Alia vide verb. Confessarius art. 4. d. num. 12. ubi plura ad rem.

68 Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denuntiationem sollicitantis illum occulte admoneat, ut sibi provideat, sponte se offerendo tribunali. Tenetur tamen, etsi admonitus compareat, & sit ex correptione emendatus, illum denuntiare, ut ex propositionibus ab Alexandro VII. damnatis eruitur. De synod. dioc. lib. 6. cap. 11. §. 9. & 10. nov. edit.

69 Praeceptum denuntiandi Confessarios sollicitantes ad turpia, & penae aliae huic sollicitationi indicatae non extenduntur ad alia crimina a re venerata diversa. ibid. §. 14.

SOLUTIO.

SUMMARIUM.

- 1 Solutio proprie sumpta quid sit.
- 2 Ad solutionem tenetur quicumque est debitor, seu obligatus.
- 3 Debitor, qui solvendo amplius non est, si sit laicus debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur, ut ex eis creditores, servato juris ordine, percipiant quantum cuique eorum debetur, quamdiu aliquid adest.
- 4 Quis juris ordo servandus sit pro solvendi iuris creditoribus, cum non sufficiunt debitoris bona ad cuncta solvenda debita? remissive.
- 5 Quomodo per cessionem bonorum liberetur debitor ab onere solutionis faciendae, & quae de ipso in facti contingentia concludenda occurrant, remissive.
- 6 Si debitor, qui solvendo non est, sit Clericus, non tenetur cedere bonis, nec excommunicari, incarcerationi, aut aliter molestari potest.

7 Qui verum suarum liberam administrationem non habent, non possunt sine auctoritate Tutoris, aut respective Curatoris valide solvere.

8 Procurator tam specialis, quam universalis potest valide solvere pro debitore, cuius est Procurator.

9 Immo etiam quisvis alius pro debitore, etiam invito, & ignorante, solvere, ac satisfacere, eumque a debito liberare potest.

10 Est tamen advertendum, quod solvens pro alio sciens, & volens habet contra illum actionem mandati; solvens autem pro alio ignorante habet contra illum actionem negotiorum gestorum: Solvens tamen pro alio expresse volente, & contradicente nullam habet actionem, vel jus ad repetendum ab eo quod pro ipso solvit.

11 Successor in beneficio ecclesiastico tenetur solvere debita facta ab antecessore pro vera utilitate, seu necessitate ecclesiae, vel beneficii.

12 Immo successor in beneficio tenetur solvere debita contracta ab antecessore pro sua necessaria, honesta, ac decemti sustentatione.

13 Ut successor in beneficio teneatur solvere debita antecessoris, debet prius creditor probare, quod pro vera utilitate, seu necessitate ecclesiae, aut saltem pro necessaria Praelati sustentatione fuerint contracta.

14 Sufficit tamen, quod creditor probet tunc temporis adfuisse verum casum utilitatis, vel necessitatis ecclesiae, quamvis non probet in eam pecunias, vel aliam rem creditam fuisse conversam.

15 Nullatenus vero tenetur successor in beneficio solvere debita ab antecessore contracta alio titulo.

16 Solutio primum fieri debet ipsi creditori etiam invito, & si creditor accipere nolit solutionem, poterit debitor pecuniam debitam Magistratui consignare, si quo se, & a debito principali & ab usuris liberare.

17 Nequit vero fieri solutio creditoris, qui liberam rerum suarum administrationem non habet.

18 Potest tamen fieri solutio Tutori, aut Curatori ejusdem.

19 Item recte fit solutio creditoris Procuratori, tam generaliter, quam specialiter ad solutionem accipiendam deputato.

20 Si debitor penitus ignorante, seu nesciente, Procurator a creditore tali officio privetur, vel ei, ne solutionem accipiat, specialiter mandetur, adhuc debitor recte ei solvit, & liberatur a sua obligatione: secus autem si id sciat.

21 Item recte fit solutio servis, ac filiis familias, si ad accipiendam solutionem specialiter, vel generaliter sint deputati.

22 Item recte fit solutio creditori creditoris, nisi ab ipso creditore expressa ad id habeatur contradicentio.

23 In qua specie, & quo valore monetae faciendae sit solutio, remissive.

24 Debitor existente in culpabili mora solvendi, si interim contingat monetarum mutatio, ipse solus damnum sentire debet.

25 Quando in conventionibus speciali certum tempus ad solvendum praefixum est, debet exacte a debitore observari: Et hoc etiamsi creditor non urgeat solutionem.

26 Unde si ex culpabili mora solvendi praefixo, & determinato tempore, creditor aliquod damnum patitur, est ei resarciendum a debitor culpabiliter moroso.

27 Si certum tempus determinatum sit in favorem debitoris, prout ordinarie fieri solet, potest debitor ante finitum tempus conventionis solvere, & creditor tenetur solutionem accipere.

28 Si autem tempus determinatum sit in gratiam creditoris, debitor ante elapsum illud tempus solvere non potest: Nec creditor solutionem accipere tenetur.

29 Si vero nullum tempus pro solutione sit determinatum, potest debitor eam differre, donec creditor eam petat.

30 Limitatur tamen primo conclusio in casu, quo solutio sit debita ex delicto.

31 Et si creditor ex tali culpabili mora aliquod damnum patitur, est ei a tali debitoro resarciendum.

32 Limitatur secundo in casu, quo creditor ex timore etiam reverentiali debitum petere non audet, aut illud ignorat.

33 Alia ad rem de tempore solutionis, seu restitutionis faciendae, remissive.

34 Solutio, seu restitutio in quo loco, & cujus expensis, vel periculis fieri debeat, remissive.

35 Quilibet debitor regulariter loquendo tenetur simul, & semel totum solvere debitum; nec tenetur creditor solutiones per partes accipere.

36 Limitatur tamen conclusio primo in casu, quo specialiter conventum sit inter debitorem, & creditorem, quod solutio fiat per partes.

37 Limitatur secundo in casu, quo debitum per partes contractum sit.

38 Limitatur tertio in casu, quo debitor ex diversis causis, seu contradicibus debita contraxerit.

39 Unde cum quis ex pluribus causis est debitor, & aliquam solutionem facit, in ejus potestate est exprimere, quod potius debitum velit solvum: si vero nihil exprimat, est in potestate creditoris, pro quo voluerit debitum totum solutionem accipere.

40 Cum hoc tamen, quod si nihil exprimat, censetur semper solum debitum magis onerosum.

41 Quando debitor una cum capitali simul usuras debet per partem solutionem factam, censetur soluta usura, quamvis debitor capitale se solvere exprimat.

42 Debitum tollitur etiam sine solutione per acceptilationem.

43 Acceptilatio quid sit.

44 Unde ut acceptilatio valeat, debet sic fieri, ut appareat, cujus debiti ex pluribus remissio petatur.

45 Si autem pluribus debitis ex pluribus stipulationibus factis gravatus non pro uno, vel altero determinato debito, sed pro omni indifinite roget, tunc per acceptilationem omnia debita, quamvis ex pluribus stipulationibus provenientia, censentur sublata, seu remissa.

46 Debitum tollitur, & solutio fieri censetur etiam per justam compensationem.

47 Quandonam justa, & licita compensatio fieri possit.

sit, & quanam conditiones ad ipsam requirantur, remissive.

48 Qui per errorem solvit, quod non Jure naturali, nec civili debebat, solum condicere, seu repetere potest.

49 Qui per errorem solvit indubitum Jure naturali, debitum vero Jure civili, solum pariter condicere, seu repetere potest, sive per errorem facti, sive Juris solverit.

50 Qui indubitum Jure civili, & debitum Jure naturali solvit per errorem, seu ignorantiam facti, modo ignorantia non sit crassa, vel supina, potest solum repetere, seu condicere.

51 Si autem id solvat per errorem, seu ignorantiam Juris, repetere, seu condicere non potest.

52 Qui sciens se non debere, & nihilominus solvit, non potest solum condicere, seu repetere.

53 Et procedit conclusio, etiamsi talis dederit hac mente quod velit iterum repetere.

54 Secus autem esset, si animo dubio, incerto, aut titubante solvoisset.

55 Aserens se indubitum solvisse, & conditionem intendens, probare debet, quod fuerit indubitum.

56 Secus autem esset, si adversarius negaret se a condicente solutionem accepisse.

57 Pro faciliiori captu supradictorum datur hic definitio Conditionis.

58 Jure datur definitio Indebiti.

59 Addit. usque ad fin.

Solutio proprie sumpta est idonea, ac sufficiens debiti praestatio, seu satisfactio tempore, & loco convenienti legitime facta. Sic in re Communis.

Ad solutionem tenetur quicumque est debitor, seu obligatus; debitor enim sui obligatio non tollitur, nisi solutione, & satisfactione; Inst. Quibus modis tollitur obligatio, in principio ibi; Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur. (Procedium cum leg. 1. tit. 14. p. 5. Vid. tit. 20. lib. 3. For. Reg.)

Debitor, qui solvendo amplius non est, si sit laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur, ut ex eis creditores, servato juris ordine, percipiant quantum cuique eorum debetur, quamdiu aliquid adest; l. Qui bonis cesserint 1. Cod. Qui bonis cedere possint, cum similibus.

Quis

Debitor insolventem, bonis cedere debere, non est absolute necessarium, ut asserit A. verbo debet, quod importat necessitatem: duo remedia, ad minus, notantur in Jure Hispano, praedictam cessionem effugientia; indicat ad inopiam redacti debitores adversus debitum, quod inficiare nequeunt, moderatas petere, & impetrare indicias ad solvendum; primo, & Supremis tribunalibus, quibus addicta est talis concessio: (1) & litera quibus hujusmodi indiciae indulgentur, latine rescripta moratoria, hispane moratoria, o espera nominantur; secundo, a creditoribus, quando debitori ad solvendum aliqua dilatio vulgo espera de acredores, conceditur: illud regulariter obtinetur hac in peninsula, dum debitores ineunt recursum Supremo Castellae Senatus, Aula, quam Sala primera de Gobierno cognominant, sub cautione ad creditoris consulendum, intra determinatum tempus praestanda: (2) istud vero, si creditores, aut major eorum pars juxta debiti quantitatem in danda debitori dilatione consenserint: aut si praestiterint assensum, qui in numero personarum, quantitateque crediti aequales fuerint, sive inaequales in personis, & in quantitate pares: (3) eorumque consensu in judicio deducto, a Judice ordinariè proceditur.

(1) L. 15. tit. 5. lib. 2. Otrosí ordenamos, y defendemos, que los nuestros Oidores no den, ni libren a persona alguna cartas de espera de sus deudores. Añt. acord. 94. tit. 4. lib. 2. De aqua adelante las esperas que se pidieren en el Consejo hayan de pasar y despacharse y las que fueren de Justicia, en Sala de Justicia: y las que fueren de Gracia, en Sala de Gobierno:

(2) Añt. acord. 19. ejusd. Luego que se pida moratoria por qualquiera interesado, mandará el Consejo dar traslado a los acredores para asegurar el mayor acierto en punto tan grave; y vista la respuesta de éstos, en el caso de acordar el Consejo la moratoria, sea con la calidad de dar fianzas a satisfaccion de los acredores para la paga de sus créditos, pasado el tiempo de la concesion, con lo qual se les asegura su cobranza, y los créditos de sus principales.

(3) L. 5. tit. 15. p. 5. Debtor seyendo un ome de muchos, si ante que desamparare sus bienes los juntase

Nu- en uno, & les pidiese que le diesen un plazo señalado a que los pague: si todos non se acordasen en uno a otorgárselo, aquel plazo debe aver que otorgare la mayor parte dellos maguer los otros non gelo quisiesen otorgar. E aquellos decimos que se debe entender que son mayor parte, que han mayor quantia en los debdos. E si fuese desacuerdo entre los unos queriendo otorgarle el plazo, & los otros diciendo que gelo non otorgarian, mas que pague, ó desamparase los bienes: entonces si fueren iguales en los debdos, & en quantidad de personas, debe valer lo que quieren aquellos quel otorgan el plazo, porque semeja que se mueven a hacerlo, por piedad que han del. E si por aventura fueren iguales en los debdos, & designales en las personas, aquello que quisiere la parte, si fueren mas personas, eso debe valer. L. 33. tit. 18. p. 3. Agravados son ome a las vegadas de pobreza, de manera que non pueden pagar lo que deben a los plazos a que lo han a dar. E